





FACULTATIS MEDICAE  
 IN  
 ACADEMIA WITTENBERGENSI  
 H. T. DECANVS  
 GEORGIVS AVGVSTVS  
 LANGGVTH D  
 PATHOLOG. ET CHIRVRG. P. P. ORDIN  
 ORDINIS SVI SENIOR  
 PANEGRIN MEDICAM  
 AD D. XXVII AVGVSTI 15 15 CC LVI  
 H. I. Q. C  
 H A B E N D A M  
 I N D I C I T  
 D E  
 C L Y S T E R E S I C C O  
 NONNVLLA AD EIVS HISTORIAM SPECTANTIA  
 PRAEFATVS

13

VACCINAE MEDICAE  
 DE  
 ACADEMIA WITTEMBERGENSI  
 DE  
 GEORGIVS AVGVSTVS  
 LANGGVTH D  
 PATRONVS ET DIRECTOR A. O. ORDIN.  
 MEDICINAE SENIOR  
 PATRIVS MEDICAM  
 AD R. H. WITTEMBERGENSIS  
 M. D. C. C. L. X. V. M.  
 INDICIT  
 G. G. O.  
 HONORABILIS HISTORICUS INSTITVTVS  
 WITTEMBERGENSIS





atisfecit expectationi nostrae, suoque argumento, iam commendandus a nobis Candidatus clarissimus, dissertatione inaugurali, de *clystere, februm exanthematicarum remedio, tuto non minus, quam efficaci*, ita, ut Specimen esse possit profectuum haud vulgarium, perscripta. Inde occasionem, forte non inopportunam, sumimus, de *clystere sicco*, quaedam, quae ad eius historiam maxime pertinent, hoc loco commentandi: partem, ut breuitatis temporisque rationem habere, rogati, possimus; partem ea maxime de causa, quia de effectu eius, salutari atque noxio, alio tempore, plenius exponere apud animum constituimus. Intelligimus autem per siccum, quem vocamus, clysterem, illud remedii, aluo inferiori infundendi genus, quo in primis foliorum Tabaci incensorum fumus, per inuersam longiorem fistulam, imo gutture exceptam, superioris gutturis ministerio, in intestina iniicitur.

Equidem non nouum est, sed neque domesticum,  
(A) 2. hoc



hoc inuentum, vt ingenioſe ſatis excogitatum, ſic ſuae virtutis fama inclytum.

Anni quaſi centum iam fere exacti ſunt, ex quo prima eius, a THOMA BARTHOLINO <sup>a)</sup> facta, occurrit memoria. Ad quem inuentionis gloria pertineret, BARTHOLINVS, tum temporis, neſciuiſſe putandus eſt, generaliter quaedam ita ſcite annotans: *Nicotianae ineſſe vim  $\alpha\upsilon\tau\omicron$  et  $\kappa\alpha\tau\omicron$  purgandi, illi experiuntur, qui, praeter voluntatem, ſubinde fumum deglutunt. Idem fumus ſi vitro, cereuiſa vel vino, pleno inſuffletur, ſimilia operatur. Hinc, pergit, ingenioſus quidam, loco decocti pro clyſteribus, fumum ano immittere didicit, feliciterque aluum pigram proritauit in quibuſcumque aſſectibus, vbi enemate indigemus. Sed veros atque genuinos noui huius remedii inuentores OLDENBURGIVS <sup>b)</sup> nobis commemorat, et, auctoritate HENR. STVBBS, cuius eruditi et curioſi Medici, ex Anglia in Inſulas Caribes mari veſti, obſeruaciones philoſophicas recenſet, hunc honorem ad harum Inſularum incolas, in primisque, vt videtur, ad Iamaicenſes, deſert. Hic enim inter alia, hiftoriam naturalem pulchre illuſtrantia, refert, *contra colicam bilioſam, et, ſine effectu, vſum eſſe Clyſterum ex fumo Tabaci.**

Haec obſeruatio procul dubio SIMONI PAVLLI <sup>c)</sup> fuit incognita, quippe qui, Anglos huius clyſteris inuentores eſſe, ſibi perſuadens, ipſum eorum nomine inſigniri, et ab aliis generibus, Hippocratico, Fabriciano, Gallico, Britannii-

a) *Hiſtoriar. Anatomic. et Medic. Rarior. Centur. VI. Hiſtor. 66.*

b) in *Actis Philoſophic. Soc. Reg. Anglic. p. m. 598.*

c) in *Quadripartito Botan. p. 512.*



tannicum distingui voluit. Sed ipse non satis bene inter inuentores, et inuenti amplificatores, vt ex verbis eius statim apparet, distinxit. *Quartum denique genus, ait, omnium nouissimum, Britanni excogitarunt coriaceum aut scortecum, sed per quem non, siue oleum, siue decoctum aliquod, in anum iniicitur, in quos usus tria illa recensita genera confecta sunt; verum incensi Tabaci fumum, efflatu oris aut superioris gutturis in inferiorem gutturem, (vt cum Plauto loquar) quisquis volet, eructare potest.*

Vnde tamen factum est, vt plures deinceps, inter quos BERNH. ALBINVS, <sup>d)</sup> VALENTINI, <sup>e)</sup> et HEISTERVS, <sup>f)</sup> eminent, siue hoc inuentum Anglorum esse, siue usum clysteris Tabacini in Anglia cum primis obtinere, qua in re sane non falsi sunt, aut statuerent, aut cum DEKKERO <sup>g)</sup> se inuentorem ignorare profiterentur.

Et si vero STISSERVS <sup>h)</sup> recte ab iis omnibus discedit, et, ad Societatem Regiam Anglicanam scribens, ad Anglos pertinere huius inuenti gloriam negat: cum BARTHO LINO tamen et DEKKERO non tantum verum auctorem ignorat; sed etiam falsos nominat, inque suum errorem alios bene multos, PASCHIVM <sup>i)</sup> praesertim, et STOLLI

(A) 3

VM,

d) in Disp. de Tabaco, p. 29.

e) in *Histor. Simplic. Reform.* p. 150. conf. Eiusd. *Polychrest. Exotic.* p. 71. sq. vbi tamen de inuentoribus clysteris Tabacini nihil addit.

f) in *Chirurg.* Cap. 159. §. 4.

g) in *Exercitar. Practic.* p. 704.

h) de *Machinis fumiductoriis curiosis.*

i) in *Inuentis Nou. Antiquis*, p. 454.



VM, <sup>k)</sup> HEISTERVM EX PASCHIO male emendantem, rapit. Non minoris, ait STISSERVS, utilitatis existit machina, ea ratione, confecta, ut Tabaci, aliorumque, fumus in anum immitti queat, a Barbaris aut Turcis, ut volunt, primo inuenta, qui fistulas pro suctione fumi Tabaci ex corio pararunt flexiles. Coriaceis autem fistulis non solum, pro attractione et suctione Tabaci, Barbari vsi sunt, verum etiam pro fumo Tabaci, in anum immittendo, uti coeperunt. Hoc inuentum, ex eoque redundantem utilitatem, quum cernerent curiosi quidam vestrae Angliae, pro commodiore inflatione et minus nauseabunda, aliam excogitarunt machinam. cet.

Vt igitur ex Africa semper aliquid noui: ita quandoque etiam ex America nouum utileque inuentum reperendum est.

Enimuero sic hoc inuentum ex America repetiit doctissima, et de genere humano bene promereri studiosissima, Anglia, ut, dum inuento, quae desiderari poterant, sua industria mox adderet, ipsius inuenti partem ad se traxisse iure censenda sit. De instrumento, quo Americani hac in re vsi fuerint, nihil quidem supra laudatus HENR. STVBBE, in suis obseruationibus, addidit: ex hoc tamen eius silentio haud difficulter colligendum est, id rude admodum fuisse et inopportunum; saltem vterque modus, quem BARTHOLINVS et STISSERVS, in locis excitatis, adducunt, incongruus fatis et omnino nauseabundus est. Sic ille loco excitato: *Modum mihi aperuit amanti-*  
*mus*

k) in der Historie der Medicin. Gelahrheit, p. 855. not. z.





*mus frater, D. Erasmus Bartholinus. Duae fistulae, siue lutae, siue stameae, more sucto nicotiana impleantur et accendantur, et latiora orificia sibi inuicem obuertantur, tum extremitas angustior vnus, ano immittenda, et per alteram extremitatem insufflandus ore fumus, vt ad intestina vadat: quo artificio vnusquisque ipse sibi enema iniicere potest. Hic autem, in laudata pariter scriptione, fistulae subuersae partem, ori dicatam, in anum immittere, alteram vero partem, capitellum scilicet, ex figulina terra paratum, inflare iubet, hocque pacto quemlibet sibimet ipsi fumum ingerere posse autumat; sed, quo pacto quis eius modi capitello igniuomo os, sine noxa, applicare debeat, non ostendit.*

Atque vtrumque hunc defectum, ad votum, sustulit frugiferum Anglorum ingenium, et instrumentum excogitauit, huic officio apprime conueniens et idoneum, hinc inde tamen a STISSERO emendatum et perfectius redditum. Britannicum instrumentum, cuius imaginem adiiciendam curauit BARTHOLINVS, per singulas partes accurate, at copiose nimis, describit, his praemissis: *Commodius instrumentum huic fumo, per anum insufflando, consueunt ingeniosi Angli, quale secum nuper inde redux apportauit Vir Cl. D. Henricus a Moinichen, intimus noster amicus et affinis, ad cuius normam pictor adiectam figuram expressit.* Etiam STISSERI descriptio a se emendati instrumenti plenior longe est, quam vt pagina haec nostra illam capiat; praeterea vero figuras quoque, non ineleganter expressas, addidit, vt adeo commodius sit, instrumenti huius structuram accuratius nosse et inspicere cupi-



cupientes, ad STISSERVVM remittere. Quo sine PERKERVS pariter atque HEISTERVS, iconem instrumenti emendati elegantius pingentes, non minus euoluendi sunt. Quam concinniore dedit, et instrumenti, cum nostra machina exacte conuenientis, et applicationis, descriptionem VALENTINI, <sup>1)</sup> verbis eius subliiciendam ducimus:  *Applicatio autem Clysteris huius fit ope ductus cuiusdam coriacei, filis ferreis, spirali modo conuolutis, suffulti, fistulis tabaci flexilibus, queis Turcae et Barbari vtuntur, simillimi, cui in parte superiori pyxis, aut eburnea, aut lignea, interne aliam, e lamina ferrea paratam et foraminulis persusam, continens, affigitur, cui folia Nicotianae incisa, cum carbone ignito, inseruntur, quorum fumus, ope fistulae, operculo pyxididis annexae, per ductum coriaceum, et siphunculum, ano immittendum, insufflatur.*

Quam commodum vero sit, quamque verecundiae consulatur, hoc modo clysterem Tabacinum admittere, quum situm, in lecto decumbens, nisi voluerit, non mutare, nec se nudum adstantium oculis permittere, aut eorum manibus contrectandum praebere, debeat, successu in primis supra omnem saepe expectationem, respondente, vt facile concipitur, sic pluribus in praesenti exponendum non est. Sane eorum non pauci sunt, qui, huius clysteris beneficium experti, se cito, tuto, et iucunde, curatos esse, grati disfertique vsquequaque profitentur.

Horum

<sup>1)</sup> in *Polychr. Exotic. Disp. V. §. 6.*



Horum in societatem procul dubio et illi proxime  
venient, qui se curandos mox permittent,

Virò Clarissimo atque Doctissimo  
Dn. IOANNI LVDOVICO HENNE  
Torgauensi,

Medicinae Candidato Dignissimo,  
qui, cum singulari doctrinae elegantia, et vitae honestatem,  
et verecundiae studium, amicissimo vinculo semper copu-  
lauit. Vtriusque certe fructus experturus est vberimos  
atque dulcissimos, vbi virtutis praemio, summis in Arte Sa-  
lutari honoribus, ornatus, rei publicae, patriaeque feruire,  
et ciuium salutem tueri, bono cum Deo adgrediatur. Vi-  
tae et studiorum rationem Tibi, L. B. ipse exponat.

*Torgauiae, oppido Misniae non ignobili, M. IOANNE  
MICHAELE HENNE, V. D. Ministro, tunc temporis apud  
Torgauenses bene merente et vitae integritate spectabili Viro,  
et CHRISTINA LOVISE, optima foemina, ex gente Hanneke-  
norum oriunda, parentibus, A. R. S. c 15 15 CCXXV. d.  
XXXI. Maii, lucis vsura mihi, IOANNI LVDOVICO  
HENNE, contigit. In puero iam primas et credendorum et  
agendorum, et quas aetas eiusmodi ferre solet, lineas reli-  
quas, vt parentes optimi expressas dederunt: sic annis firmio-  
rem et ingenio magis valentem, vt edocerent amplius bonas  
artes ac scientias, aliis deinceps tradidere. Annos natus non  
amplius tredecim, patre optimo iam orbus, et de ineundo  
alio vitae genere cogitans, quo pauciora Musis mansuetiori-  
bus me commendandi mihi essent subsidia reliqua, eo arden-  
tius me totum ipsis dare debere, tandem ratus, in prose-  
quendis*

(B)



quendis literarum studiis strenue ulterius perrexi et quidem, omne sat felici, ut nimirum A. R. S. c 1 2 1 2 CC XLIII. inter cives Academiae Vitembergensis, Rectore tunc temporis Magnifico b. HASSEN, receptus, Albo Acad. nomen dare potuerim. Docuerunt me tum HILLERI omnem philosophiam; BOSII scientiam naturae, cum experimentis; Anatomem et Botanicam cum Materia medica VATERI; totum, ut vocant, cursum medicum, STENZELII; Institutiones Boerhaavianas et Chirurgiam, ad ductum b. PLATNERI cum exercitio disputandi, LANGGVTHII, omnes Viri, ut tunc temporis admodum clari, sic hodie ob multae et egregiae doctrinae famam adhuc celebres. Superato sic feliciter studiorum meorum cursu, dein in patriam redux, ne ad aegrotantium lectos, quid capiendum consilii, vel ignarus plane, vel dubius admodum, accederem, et legendo et meditando, meos qualescunque in arte salutari profectus ulterius locupletare annisus sum; quos demum A. R. S. c 1 2 1 2 CC XXXXVI. gratiosus ordo Vitembergensis, pro suo semper bene de me merendi studio, in Examine, quod vocant, pro Candidatura, tentavit probavitque. Posthac vero per aliquot adhuc annos domi commoranti, cum aegrotis medicinam faciendi nulla esset occasio, ad peregrinos abeundi eum in finem coepi consilium. Habui forte tum patruelem in Silesia, Polonis finitima, de Namslaiensibus, eorumque sacris, Augustanae Confessioni congruentibus, egregie merentem, qui ex fratre filium peramanter quidem recepit. At enim, cum nec hic locorum indigenis, ne dum aliis medicam statim exercere praxin,




praxin, detur, priusquam Collegio Medicorum Wratislaviensi nomen dederint, mibique contra in primis sumtibus parcendum esset, aliud inter ea vitae genus, nostris licet studiis non indignum, ab ipsis tamen alienum plane, sectari necessum fuit. Hinc per triennium, et quod excurrit, nobili, apud Silesienses, iuventuti, de Tscheppe et de Richthoff, formandae et erudiendae opera locata, ad artem iterum, ab alienatam magis, quam neglectam, animum applicandum existimans, vale susceptae haecenus in me spartae dixi, et cum studiis in gratiam redii. Quem in finem, salutatis antea in itinere propinquitate mecum coniunctis, ad meos domum reuersus, Dresenam regiam adii, ibique in Collegio, Patris patriae sub auspiciis, quod floret, Medico-Chirurgico, curtam studiorum supellestilem nouis incrementis adaugendi occasione nactus amplissimam, per tres fere annos, ordine penitus non interrupto, Viros doctrinae non minus celebritate, quam humanitatis et probitatis laude conspicuos, mibique semper exoptabiles Patronos, in arte habui praeceptores, quos audiuisse et aduisse, vt consiliis illorum, in artis operibus, toties adiutum, nullo pigebit vnquam tempore: sic gratus hac vice publice profiteor, nec immemorem illis animum testaturus, qui docendo, emendando, vel denique quocunq; alio modo, bene mihi cupientes Patroni, fautores, amici vnquam extiterunt vel adhuc existunt, aut forte in posterum bene mereri de me, vt opto, studebunt.

Haec-



Haecenus ille. Pauca igitur adhuc, quae his addenda habeamus, relicta nobis sunt. Nouum beneuolentiae, quam bene meruit, documentum propediem Cl. Candidatus habiturus est, summisque in Medicina honoribus, ab Ordine nostro, condecorabitur, postquam vltimum profectuum suorum specimen, Disputatione Inaugurali, me Praeside, rite defensa, edidit. Septimus et viceſimus Mensis Augusti dies huic solemnitati a nobis constitutus est. Quam ob rem, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLUSTRISSIMOS, PATRES CONSCRIPTOS, OMNIUM ORDINVM ATQVE DIGNITATVM ANTISTITES GRAVISSIMOS, ITEMQVE GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS CIVES NOSTROS, qua decet, obseruantia atque humanitate, rogamus, vt hanc Panegyricam Medicam praesentes ornare, pro suo erga nos fauore, ne dedignentur.

P. P. In Academia Wittenbergensi, Dom. X. p. Fest. Trin.  
A. Q. S. P. est MDCCCLVI



WITTENBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS



DA A 6545

ULB Halle 3  
003 105 768



Sb.


VD 18

VD 17









FACULTATIS MEDICAE  
IN  
ACADEMIA WITTENBERGENSI  
H. T. DECANVS  
GEORGIVS AVGVSTVS  
LANGGVTH D  
PATHOLOG. ET CHIRVRG. P. P. ORDIN  
ORDINIS SVI SENIOR  
P ANEGYRIN MEDICAM  
AD D. XXVII AVGVSTI 1706  
H. L. Q. C  
H A B E N D A M  
I N D I C I T  
D E  
C L Y S T E R E S I C C O  
NONNVLLA AD EIVS HISTORIAM SPECTANTIA  
PRAEFATVS

